



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 15. Plures Principes Clementi obedientiam profitentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

hūm suū, paulo majorem decennio juvenem, Regem proclamari voluit, cujus Regni auspicia sub cura Reginae Matris suae oppido tranquilla erant. Verum suscitata inter eandem, & Regni Magistratus dissensione, hi octo viros ex ordine suo selegerunt, quibus summam rerum plena cum potestate deferebant. Clemens Papa in turbido piscandum ratus, *Niem. de schism. lib. 1. c. 64. & seq.* Ottonem Brunsvicensium Ducem demortuae Joannae Reginae Maritum in Italiam ablegat, qui ingenti gaudio exceptus, tanta dexteritate rem gessit, ut Neapolitani Juvenem Ludovicum Andegavensem suum Regem salutarent, quo facto regnum hoc in obsequium Clementis transit.

§. XV.

Complures Principes Clementi obedientiam professi.

Sub idem ferme tempus duo alia Regna sese Clementis obedientiae devovent. Petrus quidem Arragoniae Rex usque ad finem vitae suae

g 2 neutri

neutri Pontificum adhærebat; Joannes vero Filius ejus, ac Regni successor coram Cardinale Petro de Luna convocatis imperii sui Prælatibus, atque Optimatibus, eorum suafu Clementis VII. obedientiam adoptabat, Castellanos exemplum secutus, quibus pariter Carolus Nobilis, qui Carolo, cognomento *Mato*, in regno Navarræ successerat, sese adjunxit. Itaque tota Hispania, sola excepta Lusitania, Clementem verum Pontificem venerata est. Interea tamen S. Catharina Senensis tristem Ecclesiæ statum amare deslens, permultas ad Reges & Principes epistolas dedit, in quibus eos qua monitis, qua revelationibus ad Urbani obedientiam allicere, aut in ea firmare conata est; Hunc enim solum semper pro legitimo Pontifice habuit. Mortua est virgo sancta Romæ die vigesima nona Aprilis An. 1380. ætatis suæ trigesimo tertio, corpore morbis ac doloribus ex assiduis jejniis, vigiliis, aliisque austeritatibus penitus attrito. Quam octuagesimo post obitum

tum ejus anno Pius II. Papa sanctarum Virginum Catalogo inscripsit.

Interea Clemens contra æmulum suum, qui ob atrocem quinque Cardinalium cædem plurimorum invidiam incurrerat, indefessum restituendæ pacis studium ostentare conatur, hac via rebus suis ampliora conciliaturus incrementa. Quare consiliis, ac efficacissimis Parisiensis Academiæ monitis morem gerens, ubivis terrarum Legatos, & nuntios suos decernit, qui suo nomine Synodum convocandam esse exponerent, seque illius decisioni plene obtemperaturum sponderent; Urbanus vero parem subjectionem recusavit, quam ob rem magnum Rhodiorum Magistrum a sua obedientia abalienavit.

§. XVI.

*Quidam Pseudo-Eremita abdicationem
Papatus Urbano suadet.*

Circa idem tempus quidam natione Gallus, sumpto Eremitæ habitu